



omnia dicuntur de christo que ibidem explicat Isidorus. in
quibus et in istis quedam christo proprie quedam metaphori
ce conueniunt. de quo sine ulteriori perscrutatione in ipso
qui est finis oim finem et terminum loquendi imponamus. Nam
patet omnium diuinorum nominum aliqua generalis explicatio
supra posita et quantum ad nomina propria et quantum ad me
taphorica. et quantum ad illa que sunt christo conuenientia. in
quibus quo ad illa que sunt insufficienter dicta indulgea
tur scriptori. Et si que bona sunt reddantur gratiarum actiones
creatori. De quo dicit Bernardus. quod est immutabilis ratio creans
mentem ad se participandum. viuificans ad sentiendum. affici
ens ad appetendum. Dilatans ad capiendum. iustificans ad
promerendum. accendens ad zelum. secundans ad fructum. pro
mouens ad bonitatem. dirigens ad equitatem. roborans ad
virtutem. formans ad beniuolentiam. modificans ad scien
tiam. moderans ad sapientiam. visitans ad desolationem
illuminaans ad cognitionem. perpetuans ad immortalitatem
implens ad felicitatem. circumdans ad securitatem. Quis
amat ut charitas. nouit ut veritas. sedet ut equitas. domi
natur ut maiestas. regnat ut princeps. medetur ut salus.
reuelat ut lux. Cui honor et gloria in secula seculorum.

Doctissimi atque Eximij Theologie profes
soris: necnon Sacri palatii preclarissimi doctoris.
fratris Armandi de Bellovisu. Diuini ordinis
predicatorum. Compendium difficultum terminorum
Theologie: Philosophie atque Logice declara
cium Explicit foeliciter Anno salutiferi vir
ginalis partus. M. cccc. xci. Prima Marcij.
in insigni vrbe Basileorum.